



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. V. Pro quo tempore sit Pœnitentia necessaria ex Præcepto naturali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

men huc non spectat, & neutrius veritas præjudicat nostræ conclusioni. Prima docet, omne peccatum mortale habere totam illam speciem malitiæ, quam habet propositum expressum nunquam penitendi, scilicet malitiam contra charitatem sui, obligantem ad procurandam animæ salutem. Ità Vasquez. Contraria sententia communior est, non singulis peccatis mortalibus inesse illam malitiā contra charitatem, nam licet singula exponant aliquali periculo remoto, non tamen proximo moriendi sine penitentia, sicut exponit voluntas nunquam penitendi. Quemadmodum etiam non est contra charitatem sui, exponere suam vitam aliquali periculo v. g. per longam navigationem etiam recreationis causā, & tamen esset contra charitatem exponere se periculo proximo & moraliter inevitabili, ut pluribus ostendit Arriaga, dissolvens rationes dubitandi, illatas à Lugone pro sententia Vasquez.

Ceterum etiam si vera esset sententia Vasquez, nihil pugnet contra nostram Conclusionem. Nam sicut Inobedientia v. g. est malitia transcendens omnia peccata mortalia, & tamen quicquid esset expressum propositum non obediendi Deo, peccaret peccato Inobedientiæ, & deberet hoc peccatum explicare in Confessione, quamvis non teneatur explicare inobedientiam contentam in alijs peccatis, ita se res haberet in nostro casu, & hoc sufficit, ut dicatur extare præceptum naturale penitendi.

CONTROVERSIA V.

Pro quo tempore sit Penitentia necessaria ex præcepto naturali.

90. Imprimis certum est, ad minimum obligare in articulo mortis, ut patet ex dictis. Deinde certum est, per accidens obligare quandoque extra mortis periculum, ut si quis vellet sumere Eucharistiam, vel gravis vrgeret tentatio aliter non superabilis. Nunc quaritur, quandonam obliget ex natura rei. Et primum quidem dubitatur, an præceptum salutis penitentia obliget statim post commissum peccatum. Secundò an extra articulum mortis. Tertiò, an saltem obligemur ad aliquam retractionem toties quoties occurrit memoria peccati.

§. I.

An Præceptum naturale Penitentia salutaris obliget statim post commissum peccatum.

91. Affirmant Guilielmus Parisiensis, Major, & quidam alij. Sed Respondendum est cum cæteris negativè. Probatur à Suarez & Lugone quasi à priori. Præcepta affirmativa non obligant statim, nec semper sicut negativa: sed præceptum Penitentia est affirmativum: ergo.

Hoc argumentum tanquam inefficax merito rejiciunt Arriaga & Pallavicinus. Nam licet spectatis verbis videatur affirmativum, putant tamen adversarij, suis argumentis probari, quod quoad vim obligandi non minus sit negativum, quam præceptum restituendi ablatum, quod quidem etiam spectatis verbis apparet affirmativum, & tamen obligat statim. Ratio autem hujus est, quia affirmatio cadit supra actionem quæ debet tollere effectum ex peccato relictum, cujus continuatio semper est mala & prohibita, videlicet retentio rei alienæ: supra hanc ergo cadit præceptum negativum: *Non esse retinendum alienum*. Pari modo dicerent adversarij, præceptum penitendi præcipere quidem actionem positivam, sed quæ debeat tollere aliquod malum cujus continuatio semper prohibetur, scilicet inimicitiam cum Deo & periculum animæ, seu reatum æternæ damnationis.

Melius ergo probatur responsio 1. à posteriori: quia talis obligatio est contra sensum fidelium, & contra praxin Ecclesiarum, quia nemo se de hoc peccato accusat, nemo præter paucos illos nominatos agnoscit malitiam in hoc, quod non statim post peccatum procuraverit Contritionem perfectam etiam cum posset. Confessarij etiam non interrogant de hoc peccato penitentes: non est autem credibile, in Ecclesia existuram esse talem ignorantiam apud animatum pastores, circa obligationem perpetuò occurrentem, certè hoc non potest prudenter de Christi providentia præsumi. Hic sensus fidelium deprehenditur etiam ex eo, quod sine vilo scrupulo accedant ad Sacramentum penitentia non præmissa perfectâ contritione, contenti attritione, quod fieri non posset, si agnoscerent obligationem statim eliciendi contritionem, ut consideranti liquet.

92. Probatur denique à priori, & ex generali regula agnoscendi obligationes naturales, quæ jam aliquoties in alijs materijs vltus sum, & eadem hic vtitur P. Ant. Perez, Pallavicinus & Esparza. Ad hoc ut censeatur aliqua actio esse sub præcepto naturali, non est satis, quod illa actio plus boni afferat secum, si fiat, quam afferat ommissio illius actionis: si enim ad hoc solum attendendum esset, nihil esset merè sub consilio, sed omnia sub præcepto, v. g. status religiosus esset sub præcepto, quia per se loquendo plus boni affert quam status secularis. sed insuper & principaliter observandum est, an ipsa obligatio, siue, hoc ipsum quod est, obligari, plus boni sit allaturum toti generi humano, quam si non obligari. Ratio est, quia potest actio aliqua esse quidem allativa magni boni, sed tamen simul esse adeo difficilis, ut spectatâ fragilitate & communi propensione hominum, rarissime fiat, & longè frequentius omittatur, & quidem sit adeo difficilis, ut ne quidem accedente obligatione impediretur illius raritas, sed adhuc longè excederet ommissio, adeoque obligatio esset ansa innumerorum peccatorum, & insuper rarissime obtineret suum finem; consequenter esset

pernitiosa, & melius esset non obligari. Et quidem hoc longè clariùs procedit in illa obligatione, cujus finis esset recuperare amicitiam cum Deo, & tamen actio præcepta esset adeo difficilis, ut non obstante præcepto plerumque omitteretur, adeoque multiplicarentur potiùs peccata per transgressionem illius præcepti, & augetur magis inimicitia; talis obligatio esset manifestè contraria suo fini. atqui tale esset præceptum naturale obligans ad salutarem poenitentiam statim post peccatum: ergo non datur talis obligatio. Minor probatur. Nam difficillimum est statim ex altissimo motivo Charitatis retractare id quod immediatè antè placuit, ut consideranti patet, & bene confirmat Pallavicinus, qui enim non extimulatur (inquit) ad poenitendum ex periculo in quo manet propter peccatum præteritum, vix movebitur ex timore peccati futuri seu de novo committendi contra obligationem poenitendi: ergo talis qui immediatè peccavit, communiter non est dispositus, ut ab eo sperari possit cum aliqua magna probabilitate, acturum poenitentiam, si obligaretur, ergo communiter illa obligatio esset potiùs ansa novorum peccatorum, quàm serviret ad finem intentum.

933. Obijciunt 1. Sicut se habet perseverantia in bono ad specificandum actum bonum, quo dico: Volo perseverare in bono acquisito; ita se habet Perseverantia in malo ad specificandum actum malum, quo dico: volo perseverare in malo: atqui talis voluntas esset, quàm dicerem: nolo adhibere media deletiva peccati: ergo talis actus est malus. R. Comparisonem hanc in vno sensu procedere, in alio non procedere. Procedit in hoc sensu, quòd sicut est bona continuatio actus boni virtuosus, ita sit mala continuatio actus mali: neque de hoc est controversia. Non autem procedit in alio sensu, quòd sicut est bonum & laudabile, velle perseverare in bonis quæ consecuta sunt ad actum bonum præteritum, scilicet, in jure ad præmium & laudem, in gratia acquisita, &c. hoc est, nolle de novo peccare, & sic illa bona destruere, quòd inquam ita etiam sit malum, velle nihil ponere destructivum peccati commissi quoad effectus relictos. Ideo enim illud primum est laudabile & bonum, quia sive loquamur de actu exercito perseverantia in ratione Virtutis, sive de actu signato, semper evincitur esse actus virtutis: nam in actu exercito est formaliter ipsissima observatio aliorum præceptorum, ad quæ observanda obligor independentè ab actu bono præcedente, & hoc utique est laudabile: loquendo de actu signato seu reflexo, ille pertinet ad virtutem Perseverantia, quæ intendit honestatem in victoria difficultatis, quæ est in duratione temporis. Jam econtrario qui in actu exercito non agit Poenitentiam, si hoc fiat per actus oppositos alijs præceptis, quæ existerent etiam si nullus actus peccaminosus præcessisset, utique hoc est malum, nec de hoc procedit obiectio. Loquendo verò de actu signato, non pro-

cedit paritas cum actu perseverantia in bono quia facilitas perseverandi sine poenitentia, non est apta refundere malitiam in actum, licet difficultas perseverantia in bono est apta refundere bonitatem; alioquin sicut, quòd est major difficultas, ita est major bonitas, ita ex altera parte quòd est major facilitas & proclivitas ad peccandum, debet esse majus peccatum, quòd adeo est falsum, ut potiùs minuatur malitia. Itaque non procedit in hoc paritas, quia nos offendimus in præcedente Conclusionis, quòd nimia facilitas, & quantitas facilis non statim poenitendi, magis potiùs non præcipi quàm præcipi poenitentiam econtrario verò perseverantia in bono debet esse sub præcepto, alioquin malum fieret licitum, quòd in terminis repugnat. Cæterum in hoc etiam est aliqua paritas, quòd sicut perseverare in bono usque ad mortem, est præceptum, & bonum, ita perseverare in impoententia usque ad mortem, inclusivè, est malum & prohibitum, & esset actus peccaminosus quo post peccatum commissum facerem: nolo poenitere toto vitæ tempore: licet tamen non sequitur esse actum peccaminosum quo dico: Nolo poenitere nunc.

934. Obijciunt 2. Qui commisit peccatum Infidelitatis, tenetur statim elicere actum dei, quo, ex probabili Sententia, etiam statim recuperatur habitus fidei, licet non recuperetur gratia: ergo etiam qui per peccatum amisit Gratiam (quæ est majus bonum quàm habitus fidei) tenetur eam statim recuperare. R. transitur quòd nunc id quod supponitur in objectione, per actum fidei recuperari habitum fidei sine gratia (quòd lib. 2. negatum est) distinguo antecedens: tenetur elicere actum fidei statim obligatione procedente ex peccato Infidelitatis præcedente, nego obligatione jam priùs existente, quia tenetur credere, quoties proponuntur motiva fidei, & debet elicendus actus moralis essentialiter pendens ab actu fidei, concedo antecedens, & distinguo consequens; teneor recuperare gratiam amissam, aliunde instet aliquod præceptum de procuranda statim Gratia (quòd per accidens fieri potest) concedo, per se & præcisè spectatà obligatione, proveniente ex peccato præcedente, nego consequens.

Ex eodem fundamento solvuntur plures iustmodi objectiones, quas Lugo refert fulius: v.g. qui contraxit malum corporis, tenetur statim procurare sanitatem ex charitate sui: item ex charitate proximi tenemur ad correctionem fratrum: ergo multò magis ad curandum morbum amentie propriæ, cum sit peior morbo corporis, & quilibet teneatur amare magis salutem propriam quàm salutem proximi. Responderetur, inquam, in his exemplis, & nostro casu esse paritatem, si rectè applicetur, & ideo inde potiùs confirmatur nostra Sententia, si, ut volunt adversarij, est attendenda paritas, si, ut solùm teneor statim adhibere medicinam, quando est periculum, ne morbus durior, curabilis, aut impediat alias actiones præceptas, ita teneor delere peccatum, quando vel immineat periculum.

periculum, ne peccatum fiat indelebile per finalem impenitentiam, vel quando status peccati impediret actionem aliam præceptam, v. g. summptionem Eucharistiae. Item, sicut tunc solum teneor corrigere proximum, quando ex dilatione correctionis vel timetur relapsus, vel impenitentia finalis, ita etiam teneor poenitere, si respectu mei alterutrum imminet.

935. Obijciunt 3. Scriptura sæpe minatur & prædicat gravia mala imminere non poenitentibus, ut Isaia 65. Jerem. 8. atqui poena gravissima præsupponit culpam gravem: ergo non poenitere est culpa gravis. R. in illis locis per impenitentiam intelligitur continuatio prævi affectus, ut colligitur ex contextu, additur enim: *faciebatis melum in oculis meis, & quæ nolui, egistis* item: *omnes conversi sunt ad cursum suum*. Deinde Deus prædicat poenas temporales infligendas propter peccatum præteritum, nisi deleatur per poenitentiam, adeoque poenitentia est medium impedivum illarum poenarum, sed illa mala non sunt propterea poena impenitentiae, alioquin esset etiam quandoque gravis culpa non poenitere de Veniali commisso, quod etiam sæpe graves poenas temporales meretur. Imò quandoque Scriptura monet de malis imminetibus ex neglectu Consiliorum Evangelicorum, quæ nullo modo sunt sub præcepto, sic de divitiis dicitur, quod difficillimè ingressuri sint: Cælum, & quod incidant in tentationes & laqueos diaboli, quapropter huiusmodi etiam minæ fieri possunt illis qui negligunt ad longum tempus poenitentiam, etiam non sit sub præcepto, sed sub consilio, præsertim quando sæpius à Deo excitantur ad poenitentiam, sed respiciunt vocantem Deum, quod est non sit peccatum, sicut non est peccatum non sequi vocantem Deum ad religionem (per se loquendo) præcludit tamen viam favoribus divinis majoribus, sine quibus invalescunt tentationes, & aliæ difficultates in via salutis.

936. Obijciunt 4. Constât, multos morimorte repentinâ & nullo modo prævisâ, imò nec suspicabili: ergo homo semper est in periculo aliquo mortis: ergo si differat poenitentiam, semper se exponit alicui periculo amittendi salutem æternam: atqui debet huiusmodi periculum declinare: ergo tenetur statim agere poenitentiam. R. Negando, quod illud periculum sit tantum, ut sit obligatio vitandi: non enim tenetur homo ad procurandam summam certitudinem suæ salutis & statûs gratiæ, & negationis periculi, sed sufficit moralis certitudo, & magna probabilitas, quod hic & nunc non sit eventurus talis casus. Quamvis autem multi repente moriantur, incomparabiliter tamen plures valentes & sani non ita moriuntur: ergo loquendo de vno homine particulari & sano, est moraliter certum, quod non morietur morte repentinâ nunc: & hæc certitudo moralis sufficienter excusat ab obligatione nunc poenitendi. Sicut nemo tenetur procurare maiorem certitudinem

quàm moralem quod sit rite baptizatus, etiam si multi non rite baptizentur, & sic damnetur.

§. II.

An præceptum naturale Poenitentiae obliget solum in periculo mortis.

937. PRIMA sententia asserit, hoc præceptum obligare per se etiam, post aliquod tempus, licet non sit periculum mortis: quantum autem illud tempus sit, dicunt non posse unâ regulâ omnibus communi determinari, sed attentis circumstantiis esse prudentis viri arbitrio taxandum. Conveniunt quidem AA. huius sententiae, infra annum non obligare, quod colligitur ex sensu Ecclesiæ, non nisi annuam confessionem præcipientis: quantum verò sit ultra extendendum, non conveniunt. Lugo in fine h. 243. videtur extendere ad tres vel 4. annos. Arriaga ad annum tantum. Hanc sententiam tenent Suarez, Conink, Lugo, Arriaga.

Secunda sententia negat hoc præceptum per se obligare extra articulum & periculum mortis. Ita Cajetanus, Durandus, Navarrus, Valentia, Vasq. Dicastillo, Esparza, Pallavicinus, & novissimè P. Antonius de Spiritu S. in Directorio Confess.

DICO Cum hac secunda sententia, in solo mortis periculo dari per se obligationem poenitendi ex præcepto naturali. Probat 1. Quia ab adversariis nullum sufficiens & virgens fundamentum pro ea asseritur, ut patebit. Probat 2. à Pallavicino. Quia præceptum poenitendi extra articulum mortis, adhuc esset noxium, eo ferè modo, quo foret noxium præceptum statim poenitendi post peccatum commissum. Nam qui non movetur ad poenitendum ratione peccati jam contracti, vix movebitur ad poenitendum intuitu peccati contrahendi per impenitentiam post tres annos: nam quæcunque ratio ab adversariis afferatur ad ostendendum, quod post tres annos cessabit pernicies legis obligantis statim ad poenitentiam, illa ratio probabit, etiam cessare illam perniciem intra primum annum: atqui intra primum annum nolunt adversarii cessare: ergo non est ratio cur cesset postea. Certè qui poenitentiam agunt non expectant mortis articulo, vel moventur præcepto Ecclesiastico, vel tadio priorum peccatorum, vel devotione ad certum sanctum aut festum diem: nemo enim ferè est fidelium, qui audiverit aliquid de præcepto naturali poenitendi post duos annos: ergo non moventur ab hoc præcepto. Et mihi indubitatè est, quod, si fidelibus omnibus constaret de veritate nostræ sententiæ, quod inquam (secluso præcepto Ecclesiastico) æquè multi poeniterent non expectato mortis articulo, atque modo poenitent: ergo signum est, quod non moveantur probabilitate contrariæ sententiæ.

938. Ob-

938. Obijciunt 1. Qui perseverat diu in peccato, constituitur eo ipso in periculo peccandi de novo, juxta illud Gregorij in *Ezech. hom. 11. Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit ad aliud*: atqui obligamur pœcepto naturali nos ponere extra periculum peccandi de novo: ergo obligamur ad pœnitentiam intra longum tempus, etiam secluso mortis articulo. Hanc objectionem non facere ad rem, quia nos non negamus, quod casu quo homo perveniat ad illas circumstantias, in quibus advertat, quod nisi eliciat actum contritionis, vel recipiat sacramentum Pœnitentiæ, sit ipsi moraliter impossibile vitare novum peccatum ad quod tentatur, sit obligatus pœnitere; sed dicimus hoc esse per accidens, sicut ipsi adversarij dicerent, si illæ circumstantiæ evenirent intra primum annum. Itaque esto per se loquendo & communiter eveniant tales circumstantiæ homini diu existenti in peccato habituali, quod tamen homo advertat ad illud temporis punctum, quo completur talis longitudo, pro qua solent per se loquendo tales circumstantiæ evenire, vel jam evenierint, est moraliter impossibile, & vix vnquam contingit, & si contingeret esset per accidens.

Obijcit Card. de Lugo 2. n. 234. Videtur necessitas pœnitendi saltem post longum tempus, etiam extra articulum mortis apertè colligi ex dignitate Dei offensi, in cuius contemptum redundare videtur, si quis adeo parùm curet de reconciliatione cum Deo procuranda, & velit per totam vitam in ejus inimizia perseverare. Constat enim non fieri absque principis indignatione & offensione, si post delictum in principem commissum, de oblata principis gratia & pace nihil curet, sed differat veniæ petitionem & reconciliationem ad finem vitæ. Deinde n. 273. ferè similia repetit: qui, inquit, Deum graviter offendit, si reconciliationem aut veniam negligat, videtur Deum ipsum offensum negligere & contemnere. Cum P. Dicastillo, totum hoc argumentum reduci ad vnum: *Videtur: & nos dicimus: non videtur*. Deinde cur videtur Deus contemni, si differam per tres vel quatuor annos, & non, si per annum? certè principes terreni putarent se contemni, si oblata gratia intra annum non acceptaretur: quod si tibi hoc non videtur, nec nobis post tres annos futurum videtur. Deinde est disparitas inter Deum & Principes terrenos. Principes terreni offenduntur tali dilatione, quia præsumunt vel suspicantur in offendente animum nunquam petendi reconciliationem, vel affectum quo ratificant delictum commissum, nec volunt agnoscere, se errasse: in Deo non habet locum præsumptio aut suspicio, & ipsi adversarij fatentur, ex nolitioe pœnitentiæ non rectè inferri ratificationem peccati præteriti.



An post peccatum commissum teneatur homo lege naturali ad peccatum statim retractandum, & deinde toties, quoties peccati memoria occurrit.

939. Supponitur ad quaestionis resolutionem, quod homo possit meminisse peccati, & tamen liberè nec velle illud ratificare seu approbare, nec etiam revocare seu retractare, eliciendo actum impossibilem cum illo affectu peccati. Card. Pallavicinus tamen nobiscum sentit in præcedentibus conclusionibus, in quibus præsumus de Pœnitentiæ justificativa, etiam c. 25. à n. 259. defendit, peccatorem statim post peccatum teneri ad aliquam pœnitentiam retractam, quæ sit retractio, & detectio erroris contemptus; & ait, eandem obligationem esse, quoties peccatum, quantumvis antea retractatum, memoriæ occurrit. Quia vero ab Auctor, hanc doctrinam videri posse statim obnoxiam, addit, posse aliquem sequi sententiam contrariam probabilem, & requiri plura advertentiam.

DICO, non dari hujusmodi obligationem. Probatur Conclusio ipsdē planè verbis, quæ ex ipso Pallavicino priorem Conclusionem probavimus. Qui enim non movetur ad penitendum de peccato præterito, vix movetur ad penitendum à futuro per neglectum attritionis: ergo lex esset noxia, quia esset potius occasio multiplicandorum peccatorum, quàm incitamentum ad delenda præterita.

Respondere videtur tacitè Pallavicinū, scilicet illud esse retractare per attritionem, supposito quod homo nolit approbare peccatum. Contra. Quia licet sit facilius elicere attritionem quàm contritionem, non est tamen facilius post commissum peccatum retractare, quàm tandem modo; sanè hoc non tantum probat experientia, sed etiam supponitur à Theologis, qui in certis materijs suadent, ne quis cito & reflexè se examinet, quid esset sedulo illæ circumstantiæ redirent, cō quod hoc legem culosum. Præterea ipse Pallavicinus videtur hujus sententiæ praxi magnam difficultatem agnoscere, alioquin cur diceret, posse aliquem vitandos scrupulos oppositam opinionem inquitando enim res est facilissima, non est magnum periculum scrupulorum, nec ratio recurrentis opinionem minus probabilem relictæ probabiliore.

Denique huic sententiæ etiam obijciatur, si praxis, quæ per suos Ministros neque ad retractationem hortatur fideles tanquam ad præceptam, nec Confessarij examinant pœnitentiam an tali obligationi satisfecerint; deberent etiam examinare, quia, ut Pallavicinus putat, hoc obligatio est ex terminis evidens, vel certè probabilior: deberent ergo ministri supponere, etiam

pluribus innotuisse: deberent etiam ignorantes de hac obligatione instruere, quod tamen nemo facit. Quis enim penitentem plurima peccata enumeranti ausit dicere: scias te deinceps per totam vitam tuam graviter esse obligatum ad retractanda hæc tua peccata, quotiescunque memorie occurrerent, quis non videt, quæ anxietates, desolationes & perplexitates ex tali instructione nascerentur? Sed argumenta adversarij videamus.

940. Obijcit Pallavicinus 1. atque suam opinionem validè suaderi sic posse, quia pertinet ad dignitatem Dei, ut quoties occurrerit memoria, quod illum graviter offendimus, toties aversemur illam actionem. 2. Si adversarius vult dicere, quod Deus sit dignus tali averfione à peccatis, omnino sic pertinet ad dignitatem Dei, ut aversemur non tantum commissa, sed etiam non commissa; si verò vult quod obligatio pertineat ad dignitatem Dei, Nego id pertinere, sicut adversarius ipse negat pertinere ad dignitatem Dei, ut quis statim poeniteat justificativè. audiamus ipsum Pallavicinum loquentem n. 257. [Talis, inquit, obligatio vix esset pro dignitate Dei: exponeret quippe illum innumeris & ferè inevitabilibus offensis viatorum, quos ipse ordinat ad suam æternam amicitiam. Quare non modò dignitas Dei non exigit hanc obligationem sed potius exigit negationem illius.] Hæc ille de obligatione poenitendi poenitentia justificativà. & nos idem dicimus de obligatione retractandi toties quoties memoria peccati occurrit.

Obijcit. 2. [Quis, inquit, constitutus ante faciem alicujus Principis, & memorans se fuisse illius perduellem, putat se posse sine illius contemptu non ostendere aliquam displicentiam de ejusmodi crimine perpetrato?] 2. 1. Hoc modo posset etiam probari obligatio statim reconciliandi modo possibili, vel si hoc negligi potest sine contemptu, poterit etiam retractatio quam propugnat Pallavicinus. 2. Cum Principes terreni non possint inspicere animum paratum ad reconciliandum Principem eo tempore quo ipse Princeps voluerit, faciliè præsumunt perversum adhuc erga se animum durare, neque talis hominis præsentiam ferrent, quamdiu nollet Principem sibi reconciliare; aliter se Deus gerit erga peccatores, à quibus nihil est quod sibi timeat: & contentus est, si absit continuatio præterita offensæ, eò quod videat non expedire graviolem obligationem.

Obijcit. 3. S. Thomam 3. p. 2. q. 84. a. 8. in C. ubi ait: [Poenitentia interior debet durare vsque ad finem vite, semper enim debet homini displicere, quod peccavit; si enim ei placeret peccasse, jam ex hoc ipso peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet.] 2. S. Thomam non posse intelligi de casu, de quo disputamus, nempe quando homo potest suspendere tam affectum complacentiæ, quam displicentiæ: sic enim esset conse-

quentia pessima: Non displicet, ergo placet, quia datur medium præcédens ab utroque. Loquitur ergo S. Thomas de casu quo homo non habet libertatem contradictionis, eò quod non proponatur illi reflexe difficultas & bonitas displicentiæ, ut eam possit vel eligere vel respicere, sed de casu quo habet solam libertatem contrarietatis, vel ad reprobandum vel ad approbandum peccatum, & de casu quo homo vult practicè versari circa peccatum præteritum, approbando vel improbando: & hoc sensu est bona illatio S. Thomæ. Porro hæc mens S. Thomæ etiam ex eo colligitur, quod in argumentis nullum posuerit ad probandum, sufficere præcisionem ab utroque actu, & quod quæstionem brevissimè expediat.

941. Obijcit 4. & quasi diffidens probationibus ad obligandum toties quoties occurrit memoria peccati. [Quidquid sit, inquit n. 261. de prædicta Sententia, saltè rationes suprà indicate evincunt, peccatorem statim teneri ad primam retractationem ubi memoria peccati occurrit. Videtur enim magnus contemptus Principis facere hunc actum: Ego scio, quod vltima vice mihi placuit graviter offendere Principem, & tamen nolo retractare hanc meam vltimam voluntatem, quamvis sciam, meos actus interiores versari in conspectu ipsius Principis.] 2. Hoc ipsum est, de quo disputamus, & ego dico, non videri quod sit contemptus Principis, quando quis aliquid non vult facere nunc, sed postea, dum non apparet obligatio pro nunc, sed pro postea: non apparet autem obligatio, quia non probatur aliter, quam quod ita videatur, ad quod responderetur, alijs non ita videri. Catenim Pallavicinus non explicat nec exprimit actum integrè, prout deberet exprimi, nempe in ordine ad motiva quæ habet. Si enim dicat: Nolo retractare, sive obliger, sive non obliger; est utique contemptus: dicere autem: nolo retractare, quia princeps non exigit, contentus, quod non ratificem & approbem peccatum commissum; non est contemptus Principis, sed potius aliqua observantia. Quamdiu ergo non probatur dari obligationem, non possumus dicere, quod sit contemptus nolle retractare: & priusquam statuamus, an sit contemptus: nolle retractare, debemus prius statuere, an detur obligatio retractandi: malè ergo inferitur & probatur obligatio retractandi ex eo, quod nolle retractare sit contemptus: si enim dicit: nolo retractare, licet obliger, erit contemptus: si dicat: nolo retractare, quia non obligor, non erit contemptus: ergo non possumus scire, an nolitio retractationis sit contemptus, nisi prius sciamus, quale esset ipsius motivum seclusà ignorantia, scilicet, an detur vel non detur obligatio retractandi: ergo qui vult ex ipso actu probare obligationem, committit circulum, & nihil probat.

